



Per.
Lat
020

Moderator ephemeridis compluribus sociis adiuvantibus STEPHANUS SZÉKELY DR. *Budapestini, Üllői-út 71.*, ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

Administrator ephemeridis ADALBERTUS DANCZER *Budapestini, VIII., József-körút 48.*, ad quem
□ □ □ pecuniae quaecunque dirigantur. □ □ □

Prodit Budapestini Calendis et Idibus cuiusque mensis, excepto Iulio et Augusto. — Pretium annuae
□ □ □ subscriptionis : 4 coronae, semestris 2 coronae, extra Hungariam annuae 5 coronae. □ □ □

De mortuorum cultu.¹

In vetere Roma sumus. Frigora vernalibus² solis radiis nondum mitescunt,³ Feralia⁴ enim die VII. Id. Febr. incipiunt. Per totam Italiam omnia quiescunt, tacet nunc hilaritas, silent gaudia; nullae nuptiae fiunt, nullus ignis in focis, nulla tura⁵ in aris deorum; Feralibus templa superiorum clausa.

Cives frequentissimi ad sepulcra⁶ se effundunt: parentes, liberi, cognati properant sepulcra carissimorum decorare manesque⁷ eorum piaculis⁸ precibusque placare. Anima mortuorum hoc die ad suos revertisse atque munuscula⁹ pietatis recipere¹⁰ putantur...

Festum duodecim dierum erat; ultima die, XI. Cal. Mart., cognati ad socias dapes¹¹

convenerunt, ut recognoscerent,¹² quid de sanguine suo restaret. Sed non solum ad recognoscendos cognatos conveniebant, verum etiam ut controversias,¹³ si quae essent, inter se componerent. Dies erat caritatis, inde nomen Caristorum...

Nos quoque recordamur defunctorum, qui vivi tam cari nobis fuere. Calendis Novembribus sub vesperum campanae pulsantur,¹⁴ nos maestis animis, pietate imbuti, defunctorum nostrorum cara sepulcra adimus, in quae ma-

nibus plenis flores coronasque, amoris pignora¹⁵ spergimus.

Sed interea nox atra tristi umbrā circum-

1 tisztelet 2 tavaszi 3 enyhül 4 a halottak ünnepe Rómában 5 tus, turis tömjén 6 temető 7 a holtak lelkei 8 engesztelő szer 9 ajándék 10 elfogad 11 közös lakoma 12 számba vesz 13 ellentét 14 üt, campana pulsatur a harang szől 15 zálog



Coemeterium Genuense.

volat sedes mortuorum, lumina exusta,¹⁶
vivi ad vivos redeunt.

Postero die memoria illius diei nobis
repetetur, quae erit futura «Dies irae, dies
illa...» Cantus ille perfringet¹⁷ animos no-
stros et admonebit nos vitae iustae, ut «die
illa» factorum nostrorum rationem¹⁹ sine
sollicitudine¹⁸ reddere¹⁹ possimus.

¹⁶ leéget ¹⁷ megrendít ¹⁸ nyugodtan ¹⁹ számot ad.

De Pompeis. IV.

In Pompeiorum viis commercium¹ frequen-
tissimum fuisse videtur. Ut ruinae testan-
tur, in domorum fronte² tabernae³ erant,
quae cum ceteris partibus aedium non erant
coniunctae. Quae tabernae vel locabantur⁴
magno pretio, vel a dominis ipsis ad nego-
tia⁵ exercenda conferebantur.

Inveniuntur popinae,⁶ quae ex focis⁷ ollis-
que⁸ insertis⁹ cognoscuntur; tabernae olea-
riae¹⁰ cum urceis,¹¹ tabernae vinariae, ubi
vinum aliaeque potiones venibant;¹² pi-
strinae, tabernae macellariae¹³ aliaeque,
quarum mercibus¹⁴ oculi oraque delecta-
bantur.

Non raro concursus fiebant ad album¹⁵
urbis, in quo nuntiationes diversissimae
promulgabantur.¹⁶ Hic legeres de servo fugi-


tivo, de novissimis poetae operibus, de ha-
bitatione locanda similibusque.

Ut in aliis Italiae urbibus, sic Pompeis



quoque voluptatum cupido¹⁷ maxima fuerit.
Quod duobus theatris et amphitheatro osten-
ditur, quae pro¹⁸ incolarum numero¹⁸ ampli-
ora dici possunt. Minus concentibus¹⁹ edendis,
maius autem ludis scenicis erat destinatum.

¹ forgalom ² utcai rész ³ bolt ⁴ hérbé ad ⁵ üzlet
⁶ kocsmá ⁷ tűzhely ⁸ fazék ⁹ *insert* beépít ¹⁰ olaj
¹¹ korsó ¹² eladódik ¹³ sütőhely, mézszárszék ¹⁴ *merc*
¹⁵ árú ¹⁶ hirdetőtábla ¹⁷ hirdet ¹⁸ élvezetvágy ¹⁹ számá-
hoz képest ¹⁹ hangverseny.



Phaedri Americani fabula.


Versibus senariis.

Compulsa fame musca senex quaedam invenit
Cameram confertam alimentis cum tribus suis
Muscellis¹ et repente praebet prandium
Illis. Farinae² incumbens³ prima filia
Farcire⁴ posse ventrem frustra gaudet et
Cadit iam mortua, farina enim fuit
Gypsata⁵ in officina,⁶ ut amplior⁷ fiat.
Eadem sorte perit soror secunda, quae

Gustavit saccharum⁸ tam dulce et candidum.
Illud Saturno⁹ enim venenatum¹⁰ erat.
Tertilla¹¹ condimentum¹² rubrum edit. — Eheu!
Et illa supremum spirat¹³ poenam luens,¹⁴
Quod fuxinato¹⁵ credidit colori eius.
Filiarum sorte musca afflicta mater pari,¹⁶
Se praecipitat in pulverem muscarium,¹⁷
Qui mortifer esse solet iam muscis omnibus,
Nunc autem est innocens, veneno enim caret
Pulvis. Sic musca integris alis avolat,
Ut ne veneno quidem possit confidi,
Adeo sunt perfidi incolae Terrae Novae.¹⁸

Z. St. Csapodi
disc. nuper schol. piar.

¹ legycske ² liszt ³ nekifekszik ⁴ megtölt
⁵ gipszsel kever ⁶ bolt ⁷ kiadós ⁸ cukor ⁹ ólom
¹⁰ mérgező ¹¹ kicsinyítve a harmadik ¹² fűszer, csemege
¹³ lehel ¹⁴ bűnhődik ¹⁵ fuxinnal kever ¹⁶ t. i. *pari*
sorte filiarum ¹⁷ légyméreg ¹⁸ az Ujvilág (Amerika).



LECTORIBUS MINIMIS.

Reditus Ulyssis. III.

Postero die Polyphemus gregem in montes egit, ut ibi pasceretur.¹ Antea autem rursus² duos Graecos dilaniaverat et devoraverat. Abiens lapidem rursus ante ianuam posuit et Ulysses comitesque ita clausit,³ ut exire non possent. Illi vero⁴ inter se deliberabant,⁵ quomodo se a Polyphemo liberarent. Putabant enim se omnes necatum iri, nisi aliquid auderent.⁶ Denique Ulysses consilium dedit, quod omnibus placuit.

Vespere⁷ Cyclops, ut solebat, cum grege in speluncam rediit. Deinde ignem fecit et duos comites devoravit. Tum Ulysses poculum implevit vino, quod apportaverat in utre,⁸ et Polyphemo dedit, dicens: Bibe, Polypheme, nam vinum, quod tibi do, optimum est. Cyclops bibit et dixit: Verum



dixisti; vinum est optimum. Da mihi alterum poculum. Sed quid est tibi nomen, parve homo, qui mihi tam bonum vinum das? Tum Ulysses saepissime⁹ poculum implevit et dixit: O Polypheme, ridiculum¹⁰ nomen habeo; appellor enim Nemo.

Cum hoc Polyphemus audiret, risit et: Mi care Nemo — inquit — quia tu mihi tam bonum vinum dedisti, te postremum¹¹ devorabo. Hoc tuum praemium¹² esto. Postquam hoc dixit, alto somno oppressus¹³ est, quia tantum vini¹⁴ biberat; Ulysses autem iam antea palum,¹⁵ quem in spelunca invenerat, acuit. Hunc palum cepit et igne candentem¹⁶ fecit. Tum hunc palum can-

dentem intrusit¹⁷ in unicum Polyphemi oculum et eum aliquoties¹⁸ circumvertit.¹⁹ Sic Cyclopem caecum²⁰ fecit.

Verba publica.

Concordia²¹ parvae res crescunt, discordia²² maximae dilabuntur.²³ — Consuetudo²⁴ est quasi altera natura. — Dat veniam²⁵ corvis, vexat²⁶ censura²⁷ columbas. — Dimidium²⁸ facti, qui coepit, habet. — Docendo discimus. — Donec²⁹ eris felix, multos numerabis³⁰ amicos: tempora si fuerint nubila,³¹ solus eris. — Dulce et decorum³² est pro patria mori. — Duo cum faciunt idem, non est idem. — Equi donati³³ dentes non inspiciuntur.³⁴ — Eripuit³⁵ coelo fulmen sceptrumque³⁶ tyrannis.³⁷ — Errare humanum est. — Est modus³⁸ in rebus, sint certi denique fines. — Et tu mi fili, Brute?³⁹ — Exegi⁴⁰ monumentum aere⁴¹ perennius.⁴² — Ex malis eligo⁴³ minima. — Faber⁴⁴ est suae quisque fortunae. — Factum fieri infectum⁴⁵ nequit.

1 pascitur legel 2 ismét 3 elzár 4 pedig 5 tanácsokozik 6 merészel 7 este 8 tömlő 9 igen gyakran 10 nevétség 11 utóljára 12 jutalom 13 elnyom 14 annyi bort 15 karó 16 candel izzik 17 bedőf 18 néhányszor 19 megforgat 20 vak 21 egyetértés 22 vizálykodás 23 széthull 24 megszokás 25 hocsánat 26 kínoz 27 ítélkezés 28 fele 29 amíg 30 számlál 31 borult 32 tisztességes, dicső 33 ajándékoz 34 megvizsgál 35 kiragad 36 királyi (hatalom) pálcá 37 zsarnok 38 mérték, határ 39 ezt mondta a haldokló Caesar, midőn kedveltjét, Brutust is az összeesküvő gyilkosok között meglátta 40 fölállít 41 ércnél 42 maradandó 43 kiválaszt 44 kovács 45 meg nem történté.



GYMNICA

Iuventus gymnasii Scholarum Piarum Budapestinensium auctore magistro F. Hámos ludos gymnicos paravit. Discipuli studiis¹ ardentissimis prosequantur ludos, qui pulcherrime cedebant.²

Victores prodierunt in cursu longiore


1 füvelem 2 sikerül

saltoque T. Eiszen, F. Eggenberger in cursu brevi, A. Rölth in iaculando,³ G. Stefániai in saltu, E. Steingaszner in disco mittendo.⁴ Victoribus nummi argentei, aënei⁵ maiores et minores dati.

Fr. Ha'asz.

Gymnicus Circulus gymnasii III. regionis Budapestinensis in Aquarum Caesaris⁶ natatione⁷ certamen natandi paravit, cui multitudo discipulorum cuiusque generis intererant. Instituebantur varia certamina 50, 100, 200, 400 metrorum, quibus discipuli nostri non minus in natando se profecisse ostendebant,⁸ quam in ceteris exercitationibus corporis animique.

³ hajítás ⁴ discusvetés ⁵ bronz ⁶ Császárfürdő
⁷ uszoda ⁸ tanusítja haladását.




Valterus Wellman, aëronauta Americanus, qui diu in eo erat,¹ ut navigio aërobatico² septentrionem³ peteret, Id. Oct. in urbe Atlantic-City cum sex viatoribus in altum elatus, Oceanum traiecturus in Europam vehi voluit. In qua re inaudita perficienda et tempestate et machinae insufficientiã⁴ prohibebatur. Postquam 79 horas volavit, coactus erat auxilium navis vapore actae⁵ implorare, qua reciperetur.

Clément Bayard est nomen navigii aërobatici, quod prope Augustam Suessionum,⁶ in pago Cuise Lamotte in aërem sublatum Londinium vehebatur. Navigium, cui septem viatores inerant, hoc iter, circiter quadringenta chiliometra, sex horis confecit. Hoc munus⁷ iterum documentum splendidum praebet ingenii Francogallici.

Parseval, aërobaticum² exercitūs Hungarici et Austriaci a pago Fischamend Budapestinum vehebatur. Iter aërium, quod est chiliometrorum ducentorum et triginta, octo horis dimidiãque confecit, quod hercle⁸ celeritas maxima dici non potest.

¹ azon van ² léggömb ³ északi sark ⁴ elégtelenség
⁵ gözhajó ⁶ Soissons ⁷ cselekedet ⁸ valóban.



OBLECTAMENTA

Ludi mathematici.

Numerus octonarius.¹

$1 \times 8 = 8,$	$0 + 8 =$	---	---	---	8
$2 \times 8 = 16,$	$1 + 6 =$	---	---	---	7
$3 \times 8 = 24,$	$2 + 4 =$	---	---	---	6
$4 \times 8 = 32,$	$3 + 2 =$	---	---	---	5
$5 \times 8 = 40,$	$4 + 0 =$	---	---	---	4
$6 \times 8 = 48,$	$4 + 8 = 12,$	$1 + 2 = 3$			
$7 \times 8 = 56,$	$5 + 6 = 11,$	$1 + 1 = 2$			
$8 \times 8 = 64,$	$6 + 4 = 10,$	$1 + 0 = 1.$			

*

Eton² est oppidum,³ quod 34 chiliometra distat a Londinis. Celeberrimum est oppidi collegium, quod anno 1440 fundebatur. Hic educantur nobilissimarum familiarum filii, e quibus circa septuaginta in collegio habitant. Praeter eos sunt circiter nongenti quinquaginta externi discipuli, qui in oppido apud magistros vel alibi⁴ aluntur, sed semper sub tutela⁵ scholae. Omnes discipuli frequentant scholam Etonianam, sed praeterea etiam a magistris privatis docentur.



Discipuli non omnibus disciplinis⁶ obligantur: qui in physicis⁷ eminent,⁸ aliarum di-

¹ a nyolcas szám ² olv. Itn ³ város ⁴ másutt
⁵ felügyelet ⁶ tantárgy ⁷ physica, orum természet-tudomány ⁸ kitűnik

sciplinarum vacationem⁹ impetrare¹⁰ potest. Etiam disciplinae militares docentur in Collegio Etoniano, ubi corporis exercitationes — ut in Britannia omnino¹¹ — maxime florent.

★

Numerus 3367 multiplicatus per 33, 66, 99, 132, 165, 198 etc. (id est per numeros, quorum unusquisque triginta tribus maior est numero proximo), colligit¹² summam, quae ex iisdem sex numeris constet.

33 × 3367 = 111111
 66 × 3367 = 222222
 99 × 3367 = 333333
 132 × 3367 = 444444
 165 × 3367 = 555555
 198 × 3367 = 666666
 231 × 3367 = 777777
 264 × 3367 = 888888
 297 × 3367 = 999999

Quomodo vitrum¹³ forfice¹⁴ secetur.¹⁵

— Ecce vitrum et forfex, seca mihi fragmentum¹⁶ e vitro!



— Non est charta, nec pannus,¹⁷ ut secari possit. Vitrum forfice secatum in testas rumpitur.¹⁸

— Multum falleris,¹⁹ amice. Aspice. Vitrum, forfex, manus sub aqua mergitur,

ubi vitrum facile secari potest. Secari vero²⁰ potest in partes maiores minoresve, ut tibi placet. Vitrum non frangitur.

— Quomodo hoc fieri potest?

— Aquam tolluntur²¹ motus²² vitri et forficis, quamobrem cave, ne minutissima²³ pars vitri vel forficis aquam promineat,²⁴ aliter vitrum rumpitur.

⁹ mentesség ¹⁰ nyer ¹¹ általában ¹² eredményez
¹³ üveg ¹⁴ forfex olló ¹⁵ vág ¹⁶ darab ¹⁷ szövet
¹⁸ darabokra török ¹⁹ csalódik ²⁰ pedig ²¹ megszűntet
²² rezgés ²³ legkisebb ²⁴ kiáll.



Universitas Scientiarum Berolinensis sollemnia saecularia celebravit. Ex omnibus paene orbis terrarum partibus advecti hospites, universitatum et academiaram legati publice missi¹ in universitatis Aula² convenerunt, ubi etiam imperator cum uxore aderat. Imperator promisit se aedem³ paraturum, ubi viri docti curis expediti,⁴ litterarum pervestigationibus⁵ se dedere possent; ad hanc rem iam centies centena millia conlata esse.⁶

Academia Scientiarum Hungarica anno 1902, in memoriam saecularem⁷ *Ioannis Bolyai* nati, mathematici in Hungaria maximi, praemium quinquennale⁸ CCIO⁹ coronarum doctissimo in mathematicis viro instituit. Anno 1905 *Henrico Poincaré*, in universitate Parisina magistro praemium primum decretum¹¹ est; nunc a viris praemio adiudicando,¹⁰ — *Henrico Poincaré*, *Gustavo Mittag-Leffler* magistro Holmiensi ac *G. Rados* et *I. König* Hungaricis — praemium *Davidi Hilbert* magistro in universitate Heidelbergensi tributum¹¹ est.

Cornelius Emmer dr., summi tribunalis iudex,¹² uxore consentiente omnes suas fortunas, aliquoties millena millia¹³ in usum humanitatis cultusque¹⁴ publici legavit. Res immobiles, quae *Tyrnaviae*¹⁵ inveniuntur, ea conditione¹⁶ huic urbi reliquit, ut circulus familiaribus conventibus¹⁷ fieret, exceptis ludis, ubi in pecuniam grandem luderetur. Budapestini domum Emmerianam ad litteras antiquitatis eruditae, maxime ad philosophiam augendam instituit.¹⁸

Ludovici Kossuth civis nostri clarissimi statua Losoncii revelata est. Quae est iam sexagesima tertia per urbes Hungariae. B.

¹ publice missus hivatalos ² díszterem ³ intézet
⁴ fölment ⁵ kutatás ⁶ összegyűjt ⁷ születése századik
 évfordulóján ⁸ ötvenkinti ⁹ 10.000 ¹⁰ bírálóbizottság
¹¹ odaitél ¹² kúria ¹³ bír ¹⁴ néhány millió ¹⁵ köz-
 művelődési célokra ¹⁶ Nagyszombat ¹⁷ azzal a fel-
 tétellel ¹⁸ kaszinó ¹⁹ rendel

Holló, artifex vindicem¹⁹ libertatis meditantem,²⁰ casum patriae considerantem effinxit.²¹ Figura altera statuae est miles moriturus, dexterā gladium fractum, sinistrā vexillum tenens.

L. Kármán

Ducis Emerici Sancti dies lustricus²² Non. Nov. celebratur. Emericus filius fuit Stephani Sancti, primi regis Hungariae. Dux primum a beato patre, deinde ab episcopo²³ Sancto Gerardo²⁴ martyre educabatur. Talibus doctoribus usus adulescens omnibus virtutibus excellebat,²⁵ ita ut pater senescens²⁶ iam diadema regium²⁷ filio carissimo imponere voluerit. At spes patriae illo ipso die, morte ducis sanctissimi extincta²⁸ est. Emericus est patronus²⁹ iuventutis Hungaricae, exemplar dignum, cuius virtutes imitemur.³⁰

Iulius Farkas.

¹⁹ harcok ²⁰ elmékedik ²¹ ábrázol ²² névnap
²³ püspök ²⁴ Gellért ²⁵ kitűnik ²⁶ vénül ²⁷ királyi korona ²⁸ kiolt ²⁹ pártfogó ³⁰ utánoz.

Robinson. XIII.

Latine scripsit Stephanus Probus Dr. Solnensis.

Scapha fluctibus abripitur. Sonitus tormentorum bellicorum.¹ Navis magna scopulis² affixa.³ Ratem⁴ fabricant. Merces⁵ opesque de nave servant. Avis sclopeto⁵ confecta.⁶

Naviculam sociatis laboribus confectam vectibus⁷ ad litus detrudunt paloque⁸ alligant, dein domum reversi res ad navigandum necessarias conquirunt, proximo die patriam Quinti petitori.

At eadem nocte sub diluculum⁹ horrenda coorta est tempestas, quae consilia omnia subvertit.¹⁰ «Actum de nobis¹¹ esset, — ait Robinson e somno excitatus — si haec procella¹² in alto¹³ nos oppressisset.» Quibus vix dictis sonitum raucum¹⁴ iterum iterumque repetitum audit... Fragor erat tormentorum explosorum.¹⁵ «Adsunt, adsunt» exclamat et socium obstupescentem nihilque opinantem¹⁶ se subsequi iubet. Navis enim Europaea, tempestate abrepta in periculo versari tormentisque explosis auxilium petere videbatur.

Itaque quam celerrime rogam¹⁷ in monte proximo exstruunt atque imbrem remittente,¹⁸ flammā naufragis signum dare conantur.¹⁹ Sed frustra; nullum in litore vestigium²⁰ vel signum invenire poterant, quod navem aut homines adesse indicaret. Augebatur maeror eorum, quod neque scapha, arte suā fabricata, in altum¹³ abrepta, apparuit.

Duplici hac frustratione²¹ maesti iam domum se conferebant, cum sole demum orto in occidua²² parte insulae, sat procul a litore, navem ingentem radiis solis collustratam conspexerunt.

Tum Robinson gaudio exsultans, gratias Deo egit, demum ingenti clamore sublato aliisque signis animos²³ navigantium ad insulam suam convertere studebat. Nulla tamen ex nave reddi- tur vox, nihil movetur.

Quae cum ita essent, Quintus, qui erat iuvenis ad omnia pericula promptus,²⁴ sponte Robinsoni ad navem natando accessurum²⁵ se obtulit²⁶ et exploraturum,²⁷ cur continuo eodem loco staret. Dicta protinus exsequitur²⁸ et dimidiā fere post horā cum cane nigro revertitur ad dominum, qui iam paene desperabat de salute socii audacissimi.

Robinson ex verbis amici anhelantis²⁹ coniectavit: ³⁰ navem illam scopulis affixam haerere, naufragos autem nave relictā aut in scaphis alicubi³¹ iactari aut iam fluctibus peremptos³² esse. In utroque casu optimum factu existimavit quam plurimas res mercesque³³ e nave servare.

Hac igitur mente ratem magnam fabricare properant, quae triduo vix elapso confecta in mare immissa est. Tum exspectantes, dum aestus marini³⁴ recederent, in tempore solverunt ratem et ad navem pervenerunt. Nave perlustratā³⁷ reclusisque³⁵ cistis³⁶ et saccis³⁷ mirantur varietatem et multitudinem mercium aliarumque suppellectilium,³⁸ e quibus ante omnia haec rati imponere placuit: duo tormenta bellica,¹ sex sclopeto,⁵ cadum pulveris nitrati,³⁹ cistam glandibus plumbeis⁴⁰ plenam, aliquot gladios et secures, praeterea vestimenta et lintea,⁴¹ demum variorum frumentorum farinaeque⁴² copiam haud spernendam. Tum solvunt ratem atque sine ullo labore ad litus appelluntur. Idem faciebant praeterea per quadriduum bis in die, quā re



¹ tormentum bellicum ágyú ² szikla ³ megakaszt ⁴ tutaj ⁵ puska ⁶ lelő ⁷ emelőrúd ⁸ cölöp ⁹ hajnal ¹⁰ felfogat ¹¹ végünk van ¹² vihar ¹³ nyílt tengeren ¹⁴ tompa ¹⁵ elsüt ¹⁶ gyanít ¹⁷ máglya ¹⁸ enged ¹⁹ iparkodik ²⁰ a nyom ²¹ csalódás ²² nyugati ²³ figyelem ²⁴ kész ²⁵ elér ²⁶ ajánlkozik ²⁷ kikutat ²⁸ végrehajt ²⁹ liheg ³⁰ következtet ³¹ valahol ³² elpusztít ³³ portéka ³⁴ dagály ³⁵ kibont ³⁶ láda ³⁷ zsák ³⁸ bútor, holmi ³⁹ puskapor ⁴⁰ puskaagolyó ⁴¹ vászonféle ⁴² liszt



ingentem mercium vim⁴³ servarunt. Sexto die navis vento vehementi exorto abrepta fluctibusque hausta⁴⁴ est.

Robinson admirationem Quinti erga Europaeos excitaturus secessit paulisper et veste mutatā, ut nauarchus⁴⁵ gladio cinctus prodiit. Quintus primo aspectu vix agnovit dominum, qui, ut vim pulveris nitrati³⁹ ei ostenderet, arrepto sclopeto avem supra caput volantem petiit⁴⁶ et uno ictu deiecit.⁶ Explosione¹⁵ facta Quintus ita perterritus est, ut ad Robinsonem vix prae veneratione⁴⁷ accedere ausus sit.

Sed Robinson dexterā trepidanti porrectā demonstrat solam sibi vestem esse mutatam et fortunam, sed nec animum, nec fidem.

⁴³ tömeg ⁴⁴ elmerít ⁴⁵ hajóskapitány ⁴⁶ célba vesz ⁴⁷ tisztelet.



Homo quidam in India aegrotabat et mulier eius, quae propter coeli gravitatem¹ vitae timebat, illum praesente medico oravit, ut in regione, vitae tam infestā, testamentum componeret. Cui medicus respondit: «Monstra mihi, domina, regionem, quam mors non intrat, ego ipse illuc migrabo ibique vitam transigam».²

P. Záhony.

Leoni X. alchymista³ quidam librum dedicavit⁴ de arte aurum conficiendi. Cum ergo praemium⁵ amplissimum speraret, pontifex⁶ crumenam⁷ magnam homini donavit, quoniam enim ipse sibi posset aurum conficere, haberet quo illud poneret.

N. Koller.

Regis Britanniae scurra⁸ aulicos⁹ saepe lacescebat,¹⁰ qua re unus eorum adeo exasperabatur,¹¹ ut scurram occidere decreverit. Qui periculum suum regi defert auxiliumque eius implorat. «Non est, quod timeas — inquit rex — si te occiderit, postridie¹² pendebit.» — «Hoc mihi quidem placet — respondet scurra — at praeoptem,¹³ ut pridie,¹⁴ quam ego interficior, pendeat.»

L. Véghes.

Duo amici in cauponam¹⁵ iverunt coenatum ea lege,¹⁶ ut sumptus comissionis bipertirent.¹⁷ Coenā finitā alter dixit sibi ad negotia¹⁸ obeunda discedendum¹⁹ esse. Solvit

igitur dimidium comissionis, cepit baculum,²⁰ petasum,²¹ restim²² catelli²³ et abiit.

Brevi alter quoque abiturus cauponem arcessivit,²⁴ qui consumptos cibos potionesque²⁵ ita indicat: Dimidium assi vitulini²⁶ una corona, gallinacei²⁷ dimidium una corona et triginta, dimidia lagoena²⁸ vini spumantis²⁹ quinque coronae, dimidium catelli sex coronae.

Noster perterritus interpellat³⁰ cauponem:

Quid? dimidium catelli? num catellum quoque coenavimus?

Nullo pacto.³¹ At habui catellum lepidissimum,³² quem tuus amicus duodecim coronis emit et, ut vidisti, secum duxit.


Iuvenis decrevit³³ nunquam se in societate amici sui coenaturum esse.

P. Kis.

Quidam stultus rogavit Galilaeum: «Quid opus est mathematicis?»³⁴ — «Docent metiri³⁵ stupidos, ponderare³⁶ stultos, numerare³⁷ utrosque» respondit vir ille doctissimus.

F. Kiss.

¹ egészségtelen éghajlat ² tölt ³ aranyesináló
⁴ ajánl ⁵ jutalom ⁶ pápa ⁷ pénzeszacskó ⁸ bolond
⁹ udvari ember ¹⁰ ingerel ¹¹ fölbosszankodik ¹² másnap
¹³ jobban szeret ¹⁴ megelőző napon ¹⁵ koresma
¹⁶ oly föltétellel ¹⁷ a számlát megfelelő ¹⁸ dolgát végzi
¹⁹ elmegy ²⁰ bot ²¹ kalap ²² restis zsinór
²³ kis kutya ²⁴ hív ²⁵ ital ²⁶ assum vitulinum borjú-sült
²⁷ csirke ²⁸ palack ²⁹ pezsgő ³⁰ félbeszakít
³¹ dehogy ³² kedves ³³ elhatároz ³⁴ mathematica, orum számtan
³⁵ mér ³⁶ mázsál ³⁷ megolvas.



I.

Socii plures sunt, quam quinquaginta, pauciores ducentis. Omnes coenatum eunt in deversorium,¹ ubi iis 8 mensae assignantur,² ita ut ad septem mensas aequo numero considant,³ sed ad mensam octavam tredecim socii accumbere³ debebant. Quod cum omnibus displicuisset, caupo⁴ socios omnes ad 12 mensas accumbere iussit, ita ut ad singulas mensas totidem accumberent. — Quot erant socii? Quomodo erant distributi,⁵ et quomodo distribebantur postea? *N. Lábas*

¹ vendéglő ² kijelöl ³ ugyanannyian leülnek
⁴ vendéglős ⁵ feloszt


II.

- Quot fratres habes, Paule?
- Totidem, quot sorores.
- Tu quot fratres habes, Paula?
- Triplo plures,⁶ quam sorores.
- Quot erant fratres, quot sorores?

Eug. Maros.

III.

Quo modo hic sexangulus in duodecim partes aequales dividitur? *F. Barbara.*



IV.

Hac aestate iter 3400 chiliometrorum feci, e quibus triplo et dimidio plus⁷ vehebar⁸ navi, quam viā ferratā, duplo tertiāque

parte⁹ plus equo, quam navi. Quantum vehebar navi, quantum viā ferratā, quantum equo?

V.

I. Szemere.

Mater consilii, sedes veneranda¹⁰ quietis, Obscura¹¹ est adeo, ut nil cognoscere¹²

possis.

VI.

Quattuor amici dividunt inter se mille coronas hac lege,¹³ ut quoties primus capit binas, toties secundus capiat ternas, et quoties secundus quaternas, toties tertius senas, quartus septenas coronas. Quantum capit quisque amicorum ex tota summa?

L. Balogh.


VII.

Carolus: «Si mihi dares tuae pecuniae tertiam partem, haberem 14 coronas». — *Paulus:* «Si tu mihi dares quartam partem tuae, haberem 17 coronas». — Quot habuit uterque?

N. Weeber

VIII.

I. Trenkovszky.




⁶ háromszor annyi ⁷ 3 1/2-szer ⁸ megy ⁹ 2 1/3-szor
¹⁰ tisztelendő ¹¹ sötét ¹² felismer ¹³ azzal a feltétellel.

Solutiones aenigmatum numeri 3.

I. 119 columbas habuit. — II. $9 \frac{11}{21} : \frac{10}{21} = 20$.

III.

IV. Sol, auris, Baucis, bubo, infitiatio, Xerxes, Nola, nectar, mucro, dumetum, ensis, mel, fur, lupus. — Donec eris felix, multos numerabis amicos, tempora si fuerint nubila, solus eris. — V. Ora et labora.



Aenigmata recte dissolverunt: A. Blüh, I. Colceriu, I. Gibás, T. Fehrentheil, G. Koudela, M. Masirevits, E. Strecker, I. Szendefi, Fratres Totis, Georgina Wolf, P. Balázs, C. Bessenyei, S. Biró, A. Borsai, I. Dániel, R. Ember, S. Fejes, A. Gusielle, Bella e comitibus Hadik, V. Kemény, N. Király, M. Lakatos, I. Mészáros, T. Osztrovsky, A. Papp, Z. Rosenzweig, V. Varjú, I. Farkas, Aug. Fejes, I. Hacker, R. Stary, R. Székács, A. Vogl, I. Árvai, Z. Hajós. — *Praemium Antonio Papp (Szegedini) sorte obtigit.*



Fratres Totis. Paulo tardius mihi litterae vestrae traditae sunt, quod doleo, quia solutiones vestras ex omni parte probo. — *Zollán H.* Alterum duorum edendis fortasse adiungetur. — *Th. Osztrovsky.* Delectum tuorum habeo. — *Habitus non facit monachum.* Iam alicubi typis descriptum est. — *P. Cs.* Recte mones. Illud aenigma primum ab A. Csehély compositum est. — *L. Óvári.* Credo uno alterove me usurum. — *A. Kalmár.* Gratias pro emendatione! Statua Ioannis Arany non Nagyszalontae, sed in urbe Nagykőrös revelata est. — *Carola Kova.* Quod scripseras, mihi gratissimum fuit. Sociorum IUVENTUTIS numerus in dies crescit quidem, tamen gaudebo, si tuas amicas quoque ad nos invitaveris. — *F. Dalnoki.* Tuis contentus esse potes. Quae idonea videbantur, in lucem edita sunt. Ultimum aenigma, a te missum, rectum quidem, sed potius Hungaricum, quam Latinum est. — *E. Strecke.* Aenigma, quod pulchre delineavisti, bonum est. Sed huiusce modi aenigma iam a nobis edebatur. Si operam dederis, care Erneste, tempore te optima nobis missurum confido. — *Kenderessy.* Patientiam! — *Hardy.* Iam tu meliora mittes. — *F. M. Colocza.* Quae misisti, rite nobis tradita sunt. Salse dictis utar brevissime. Alterum cum meo dolore recusare cogor, partim quia longiusculum est, partim quia praeter Robinsonem et Pompeios nihil in numeros proximos persequi velim. — De reliquis proxime.

Sumptibus moderatorum ephemeridis: Magyar Középiskola.